

ΣÙV ΘΕΩ

DISPUTATIO ETHICA,

De

TEMPERANTIA;

QUAM

*Cum consensu Amplissimæ facultatis Philosophicæ
in Regia Academia Aboënsi,*

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆCLARISSIMI

DN. M. JACOBI FLACHSENII,

Metaph: & Log: Professoris Publici & Ordinarij,
nec non Facultatis Philosophicæ p. t. Decani Spe-
Cabilis, Præceptoris & Promotoris sui o-
mni reverentia devenerandi;

*LIBERALIS EXERCITII GRATIA PUBLI-
CO DISCURSUI SUBMITTIT*

JOHANN. B. FISCHOVIUS

Borgo-Nylandus,

*In Auditorio Maximo ad diem 15. Aug. Anno 775 Christi regias.
clo loc Lxxiv. horis ab octava antemeridianis.*

A B O E,

Excusa à PETRO HANSONIO, Acad. Typog.

ILLUSTRISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS

D O M I N I S

DN. LAURENTIO Creutz

LIB. BARONI DE Casariß/DOMINO DE
Garfflax/Abborsfors/Luxala ET Saris &c. &c.
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS, RE-
GNORUMq; SVEO-GOTHICI SENA-
TORI EMINENTISSIMO, CAMERÆ
REGIÆ CONSILIARIO GRAVISSIMO,
JUDICI PROVINCIALI IN BOTHΝIA
OCCIDENTALI LONGE & QVISSIMO,
UT ET LUSTRATIONIS MILITUM PER
UNIVERSAM FINLANDIAM DIRECTO-
RI GENERALI:
NEC NON

DN. ERNESTO JO-
HANNI Creutz/LIB. BARONI DE Ca-

sariß DOMINO DE Malma/Giundby & Tam-
mersfors &c. &c. SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
REGNIq; SVECIÆ SENATORI AC REGII DI-
CASTERII MAGNI DUCATUS FINLANDIÆ,
QUOD ABOÆ EST PRÆSIDI, ÆTERNA
LAUDE DECANTANDO:

PATRONIS AC DOMINIS MEIS PERMAGNIS.

Dissertatiunculam *banc* à me tenuiter conscriptam,
in debita observantia & Gratitudinū orrham
atq; subjectissimæ mentis obſidem submissè &
devotè inscribo nuncupog.

JOHANN, B. FISCHOVIUS.

Secreta me æstimatione pensitatem, quibus
potissimum Exercitum hoc Academicum i-
rem oblatum, maxima acutum & innumera
Vest. rum Illust. rum Excell. arum beneficia Parentibus
meis Ssavissimis, Fratribus mihiq; liberalissimè
præstata de primis hisce tyrocinij mei qualibus-
cunq; rudimentis *Vest. rum Excell. rum* nominibus
humilimæ gratitudinis loco submissè consecran-
dis admonuere. Ex intimis itaq; viscerum re-
cessibus supplex contendo, ut levidense hoc mu-
nus Charta eum *Vest. Illust. Excell.* vultu gratiofo-
menteq; serena aspicere, ac suo clementi patro-
cinio & favore nos clientulos suos subjectissimos
ut haec tenus ita & in posterum tutari dignentur.
Deus *Vest. Excell.* quæ tam arduis officijs omnium
bonorum applausu perfunguntur, longissimos vi-
tæ terminos metiri taxit. Vivite ergo *Heroës Illu-*
strißimi incolumes, vivite Patriæ Columnæ cel-
fissimæ, vivite Musarum Patroni Permagno & fa-
vete

Vest. rum Illust. rum Excell. rum

Clientulo Humilimo

JOHANNI BENED. FISCHOVIO.

P R A E F A T I O

Inter virtutes morales, non infimi gradus & subsellij est Temperantia, qua appetitum regit, animum tranquillat, desideria voluptatum moderatur & temperat, Venerig certos prescribit limites, ac vitam suorum Alumnorum castam & honestam reddit. Merito igitur veneranda Antiquitas Temperantiam omnium affectuum nostrorum moderatricem, actionum ducem, mentis lucem & anima nostra vitam appellavit. Proinde sua eorum, quorum interest, publico aliquo specimine memet exercere in argomento hoc illustri quod Temperantiae titulo venit, animum induxi. Thema quidem hoc ingenio longe subtiliori dignum esse judicavi, sed nec vitio mihi verti existimavi, si & aliorum judicia de praesenti materia publice audire mihi prima tyrocinij rudimenta deponenti licet, idque ob solum discendi desiderium. Sit igitur in nomine S. S. Tejados

THESES I.

TEmperantium in coetu mortali-
um dari, apud Saniores in Confesso
est, quam sublata, insanus Bacchus &
obscena Venus summa imis confun-
derent; helluones, Lenones, fututo-
resq; plenis ubiq; impunè grassaren-
tur passib; quod improbat tam publica quam privata unius-
cujusq; utilitas, vita perat veneranda Temperantiae exemplo-
rum vetustas, ac damnat Scripturæ Sacrae authoritas.

II. Vocabulum Temperantiae originem suam & nomen
à temperando habet, quod cupiditates & desideria volu-
ptatum temperet ac refrænet, ne in expetendis volupta-
tibus homo modum excedat.

III. Su-

III. Sumitur a. vox *Temperantia* tripliciter, I. Genera-
liter pro moderatione omnium actionum humanarum,
quæ cum voluptate copulantur: et sic in obiectis omni-
um sensuum versari dicitur. Hinc Cicero lib. 5. & 2. de
finibus: *Temperantia*, inquit, est moderatio cupiditatum rati-
oni obediens; item moderatrix omnium commotionum. 2. Spe-
cialius & tum complectitur virtutes, quasvis corporeas
voluptates ad mediocritatem revocantes. unde Plutarch.
lib. 7 *Sympos.* quæst: 5. contra *Temperantium* non modo
voluptatibus gusto, tactu & olfactu perceptis; sed illis
etiam quæ auribus & oculis se ingerunt peccari afferit.
3. Specialissimè sumpta moderationem voluptatis tantum
in obiectis, gustus & tactus denotat, in qua significatio-
ne hoc loco accipitur, sed nec secunda planè negligitur.

IV. *Temperantia* Græcis Σοφεσση dicitur, quod se-
cundum Arist: & Plat. sit φρονήσις σωτηρία, id est pruden-
tia conservatio. Præstat enim *Temperantia* ut sit mens
sana in corpore sano. item ταπεῖον ἀρετῆς, id est penu
virtutis apud Stob. Scrim. I. Apud Alcm: dicitur ordo &
consonantia naturæ ad imperandum & obediendum.
Nostratibus a. strictius Nachterheet audit, & tum solā
sobrietatem propriè denotat. vel latius Måtteligheet /
ac sic generaliter quævis moderationem significat.

V. Definitur vero *Temperantia*, quod sit *virtus moralis*
mediocritatem servans in appendendis & fugiendis vo-
luptatibus corporis, quæ gusto & tactu percipiuntur.

VI. Genus in hac definitione est *virtus moralis*. Dici-
tur vero *Temperantia* *virtus*, quia voluptatis nervos con-
scindit, flamas furentis appetitus suppressit, totamq;
hanc vitam castam & honestam reddit.

VII. Differentia ab objecto externo, nimirum volu-
ptatibus, desumitur; quarum aliæ sunt *animi*, aliæ *corporis*:
Non circa illas, sed *his* moderandas *temperantia* propriè
versatur, cum nemo intemperantem dicat illum, qui
vel ex honoribus, nimirum capit voluptatem, vel fabulis
& inutilibus narratiunculis tempus perdit. Sed nec cir-
ca has omnes *Temperantia* occupatur æqualiter. Per ac-
cidens enim circa voluptates *visus*, *auditus* ac *olfactus*: cir-
ca quas per se & directè non peccatur. Nam percipere
oblectationem ex musica, pictura vel aromatis ab olorè
vitio non ponitur, nisi forte incitamento sit, ad *gustus*
tactusq; voluptates. *Tactus* enim voluptatibus, quarum ple-
nior est fruitio, & diuturnior sensus quam *gustus*, tempe-
rare est difficilius. Atq; per se voluptatem *gustus* adferre
non videtur, sed ratione *Tactus*: quatenus cibus & potus
attingit nervos & membranas, quæ sunt instrumenta *ta-*
ctus. Ob quam causam sola voluptas *tactus* objectum est
Temperantia potissimum, nec tamen ea omnino: Quæ e-
nim in toto corpore, utope ex calefactione, lotione,
frictione, unctione percipitur, huc non pertinet,
Sed illa tantum quæ in certis corporis partibus nimi-
rum linguâ, genitalibus, palatô, gâtâ & ventrè existit, cir-
ca quam *Temperantia* imperium suum exerceat.

VIII. Hæc voluptas gulae & ventris, vicissim in *commu-*
nen seu *Naturalem* dispescitur & propriam seu *acceritam*: Illa
individui vel speciei conservatiōnē per se intendit: *Hæc*
simpliciter à natura ingenerata non est, sed secundum ali-
cujus lubitum, assuefactiōnē & inclinationē variè ex-
uberat. Unde hæc magis, quam illa ad temperantiam
refertur.

IX. *Tem-*

IX. Temperantia in Excessu adversatur ἀκολασίᾳ sive in-temperantia. in defectu vero ἀναιγνοίᾳ sive Stupiditas, quæ duo ejus extrema vocantur.

X. Quemadmodum Temperantia, ut initio hujus disputationis diximus, generali notione, virtutem universam complectitur, quatenus illa se ad usus aliorum diffundit: ita ejus oppositum intemperantia jam generaliter pro omnibus vitijs accipitur.

XI. Est autem ἀκολασία sive intemperantia vitium, quo circa delectum nulla habita ratione honestatis omnis generis voluptates immoderatè expetuntur. Cujus exemplum præbet Alcibiades quo nihil, Ceu in virtutibus, Ceu in vitijs excellentius fuisse, luxuriosum scilicet, dissolutum, libidinosum, atq; uno verbo intemperantem literis prodidit Corn. Nep. in vita Alcib. intemperans Alexander Magnus, in intimos amicos Crudeliter Sævit pociis & rei venereæ nimium indulgens, ut notanter loquitur Curtius lib. 5. Cap. 7. Ceterum ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes Reges antecessit, illam insubeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisq; velocitatem, in deditos fidem, in captivos Clementiam, in voluptatibus permisissim quoq; usitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fædavit. Hoste & amulo regni reparante tum cum maxime bellum, nuper subactis, quos vicerat, novumq; imperium aspernantibus, de die inibat convivia, quibus Fæmina intererant: non quidem quas violare nefas esset, quippe pellices, licentius quam decebat, cum armato vivere assuetæ.

XII. Ex dupli objecto temperantie scilicet gustu & Tastu duæ resultant species: Frugalitas nempe & Castitas.

XIII. Fru-

XIII. *Frugalitas est virtus in cibo & potu mediocritatem gulæ præscribens, ut quod quotidie corpori humano vi caloris in humidum radicale agentis, partem aliquam consumentis decedit, nutrimento seu simili restauretur.*

XIV. Objectum frugalitatis est *alimentum siccum ac humide*. Ne vero nimia cibi potusq; ingesti copia naturæ vites debilitentur, concoctio impediatur, crudi humores accumulentur, & mille morborum materies subministretur, cavet frugalitas, docetq; nos modum observare in diæta ne vel plus, vel minus nutrimenti, quam pro necessitate cuiusq; naturæ sumatur; nam multi cibi, multis morbi. Qui enim hæreditarij non sunt morbi, pleriq; omnes ex alimentis immodicè sumptis, ortum trahunt. Unde rectè C'ardanus ait: *Omnem humanam vitam constare parcitate victus, exercitatione & animi latitiae.* Hojus exempla de moribus Germanorum apud Tacitum leguntur, quod simplici semper cibo, fera recente, pomis agrestibus aut lacte concreto, sine apparatu & blandimentis famem expellabant cap. 13.

XV. Estq; rursus duplex *Abstinentia & Sobrietas*: Illa modum in *siccо*, hac in *humido* observat, dicunturq; nutrictes omnium vittatum. unde rectè Poëta cecinuit:

Abstinentia opitulatur omnibus virtutibus.

Gula vero & luxus detestandæ vitiorum matres appellantur. Merito hinc Seneca Epist. 29. Si hoc (inquit) vis colligere, virum bonum non debere ebrium fieri, dic: quam turpe sit plus cibi ingerere quam capiat stomachus & stomachi sui non nosse mensuram. Quam multa ebrijs faciunt, quibus sobrii erubescant! Nihil aliud est Ebrietas, quam voluntaria insania. Extende in plures dies illum ebrij habitum, numquid de tu-

de furioso dubitabis? *Ebrietas* inquit, *Ambrosius*: est fomen-
tum libidinis, incentivum insanæ, venenum insipientia. Hoc
sensus hominum mutat & format: per hanc sunt ex ho-
minibus equi adhinnentes etc.

XVI. *Abstinentia* itaq; est *virtus*, quæ in cibo capien-
do gulæ nostræ præscribit modum; naturæ & rationi
convenientem.

XVII. Objectum hujus est *alimentum cibarium* cuius
usum hæc virtus moderatur. Quo titulo *Cyrus* apud *Xe-*
nophontem laudatur hæc verba dixisse: *Do primo operam,*
ne nimium me repleam, deinde ut in ventrem demissa bene
digeram, hinc est quod semper valeam. Quod etiam *Seneca*
pulcrè testatur, quando in hæc verba prorumpit: *Parvo*
fames constat, magno fastidium, infelices dico vos esse, qui exi-
stimatis vos famem majorem ventre habere: Venter non est mo-
lestus creditor: parvo dimittitur si modo d. s illi quod debes non
quod potes Epist: 17. & 21. Tale Exemplum habemus in ve-
teri Testamento, *de abstinentia Patriarcharum*, qui herbis,
oleribus ac tenuissimo victu contenti fuere.

XVIII. Adversatur abstinentiæ in Excessu voracitas, &
in defectu nimia abstinentia.

XIX. *Voracitas* est vitium in capiendo cibo mediocri-
tatem excedens, alias dicitur *ingurgitatio*, qua vires la-
befactantur & corpus obruitur; unde egregiè monec
Syrac. cap. 37: *Ne esto insaturabilis omnibus delicij, neq;*
projectus ad escas. Nam multis cibis adharet morbus, & insa-
turabilis voracitas proximè accedit cholera: voracitate insati-
abili multi sunt mortui, sed qui Temperat sibi, vitam proroga-
bit. Apellatur etiam alio nomine *gulositas à gula* quasi
similes *guloni*, animali cuidam in Septentrionali Plaga
omnium voracissimo; Habenti magnitudinem canis, fa-

ciem felis, corpus & caudam vūlpis, colorem Mustelli-
num. Cui duæ insigne sunt proprietates, I. Quod adeo
crudele est, 2. Quod cœterorum voracissimum. Soleat
tamen propter inexpibilem & crudelem voracitatem ar-
bores super prætereuntes bestias & homines descendere
& desilire, ut cadaveribus gaudeat. Invento igitur ca-
davere tantum vorat, ut instar tympani extendatur, cum
statim duas vicinissimas quærat arbores, ubi sese in an-
gustiam illam per vim intrudit, ventremq; arctissimè
constringit, ut violenter ingesta, violentius egerantur.
Etsi tantæ voracitatis hoc animal est, tamen qui ad imagi-
nem Dei sint conditi, (prob dolor,) multò terrius naturæ
ordinem violent, Hec namq; bestia uno contenta est ca-
davere; verum homines voraces, non cibo solum contenti
sunt, sed & se potu onerant, facientes ex nocte diem & ex
die noctem, cumq; natura nihil amplius patitur, rursus
egerunt illud, & à vomitu Confestim ad pocula rede-
unt. *Wolfganzus Frantius* in historia animalium. Ta-
lis luxco fuit Imperat. Maximinus, qui uno die vini am-
phoram potavit & 40 libras carnis tam voracissimè es-
tavit, ut sudor calice colligeretur. Plura ebrietatis exem-
pla videsis apud *Wendel.* pag. 607. & 602.

XX. Nimia à cibo Abstinentia: dicitur inedia, quo vi-
tio sunt illi infecti, qui, si unico teruncio vitam
redimere possent, vix facerent; Quod plerumque
apud avaros reperitur, qui in colligendis Thesau-
ris potius esuriunt & sitiunt, quam aliquid boni cor-
poribus suis facere voluerint. Talis Julianus Saba,
quem intra totam hebdomadam vix semel panē, a-
qua & sale refectum fuisse *Annales* referunt.

XXI. *Sobrietas est virtus rectum modum, naturæ & rationi convenientem in assumendo potu conservans.*

XXII. *Objectum Sobrietatis, est potus, cuius usum moderatur. Utile ergo vino, sed non obtruere. Unde Dioscorid. lib. 5. Omne, inquit, vinum quod purum est, quando ne supra modum sumatur calefacit, facilime digeritur, stomacho utile est, cibi appetitiam excitat, corpus alit, vires firmat, & amabili colore cutis honestatem commendat. Plinius dicit: vino aluntur vires, Sangvis colorq; hominum, lib. 23. Cap. 1. Hæc virtus apud Romanos græcosq; maximè in usu erat. Poculum ergo necessitatis ultra conceditur, hilaritatis nisi fuerit frequens, salvâ honestate toleratur, sed superfluitatis penitus prohibetur.*

XXIII. *Cum Sobrietate in Excessu pugnat ebrietas; in Defectu nimia à potu abstinentia.*

XXIV. *Estq; Ebrietas gemina: Spiritualis & Naturalis; Illa est bona vel mala. Bona est lætitia animi ex rebus honestis percepta. Mala alias sicca dicta Consistit in vehementiori animi perturbatione aut stultitia ac imprudenteria secundos rerum successus concomitante, quæ acceptio huc non pertinet.*

XXV. *Naturali vero est vel licita & honesta, vel illicita ac inhonesta. Licta vel honesta, quando vinum non tantum ad extingvendam siccitatem bibitur, sed & ad cor exhibrandum, corporis integrum animiq; illæsis functionibus. De qua in Thes. xxii. actum. Exemplum est in Iosepho qui cum fratribus suis bibisse & inebriatus fuis-*

se legitur, Gen. 43. Huc facit non modo illud
Proverb. 31: v. 6. Date ciceram marenti, & vinum ijs
qui angusto sunt corde, ut bibant & obliviscantur egestatis
&c. Sed & dictum Augustini; *Vinum potatum mediocri-*
ter est medicamentum, plus justo sumptum venenum esse cognos-
citur. Et Theogn. *Vinum si quicunque caute, parcere, moderare,*
tempestivè bibat, non tantum non est noxium, sed longè salu-
berrimum. *Illicitæ & inhonestæ proprie* sic dicta ebrie-
tas, est habitus nempe ex iteratis actibus inductus:
alias *Ebriositas.* Tale vitium (prob dolor) ubiq; reperi-
tur, & apud perplurimos hoc seculo laudi dicitur, quod
& temporibus Augustini potatores fecerunt dicentes: *Eru-*
bescite, quare non potestis bibere, quantum nos: viri non es.
Quibus respondebat August: vide miseriam ebriosorum; se
dicunt esse viros, qui in Ebrietatis Cloaca jacent, & illos dicunt
non esse viros, qui honestè & Sobriè sunt. Serm. 232 de Temp.
Ad quos & alios his similes, sonant monita & fulmina
Sacrae Scripturæ Esa. Cap. 5. v. 11. vœ, qui consurgitis manè ad
ebrietatem sectandam & potandum usq; ad vesperam, ut vino
afluetis. Nolite ergo ineibriari vino Eph. 5. sed cavete à
Crapula & ebrietate Luc. 21.

XXVI. Quantæ igitur utilitatis vinum est illis, qui mo-
dicè vivo utuntur ut supra dictum est, tantæ gravitatis
& vitij est abtentibus quid enim ebrietas, nisi flagitorum
omnium Mater, culparumq; materia, radix criminum, origo vi-
tiorum, turbatio capitum, naufragium castitatis, turpitudo morum,
dedecus vita, honestatis infamia, animi corruptela &c. Huic
turpitudini Ælian. qui Catalogum ebriosorum contexit.
& Var. lib. 12. Cap. 26. scribunt, addictos fuisse Xenago-
ram quemam Amphoram vocarunt, Heraclidem Pugilem, &

*Prosheam Lanica filium, cum Alexandro Rege educatum
Quibus accessendus Diotimus Atheniensis infundibulum
dictus, quod infundibulo ori admoto sine interspirio
vinum intussum biberat; ita Tiberius Caesar propter nimia-
mam vini aviditatem pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldus,
Pro Nerone Mero, à vulgo vocatus est. Darij qui magnos ne-
caverat, sepulchro inscriptum fuerat: ὑδυνάμεν καὶ οὐρ
πίνειν πόλιν, καὶ τέτων φέγειν καλῶς. hoc est: Potui &
vīnum multū bibere & commode ferre.*

XXVII. In defectu peccantes vix ullos hodie depre-
hendimus, quamobrem ejus delineatio ulterior consuliō
hic omittitur.

XXVIII. *Castitas est Temperantia in moderanda vénere.*
dicitur non nullis à cesso hoc est vinculo virgineo. alijs
à castigo. Alijs vero à Græco vocabulo κάστω id est orno,
cujus præteritum passivum sonat κινέσαι regulariter est κα-
στὸς ornatus.

XXIX. Objectum castitatis est amor erga sexum virilem
& fœmininum. Officium ejus est modum in amore præscri-
bere & ab excessu affectum hominis retrahere. Solet di-
spisci in virginalem, conjugalem & vidualem. Illa in ju-
venibus, puellis & omnibus non nuptis; Ista in conju-
gatis & matrimonio junctis; hec viduorum & viduarum
est. Excell. Prof. M. Axelius Kempe in Philosophia sua Morali
pag. 176. Rationes autem & exempla castitatem com-
mendantia sunt:

I. Quia est insigne hominis ornamentum, sicut sonat
Bacchilidis sententia dicentis: ut egregius pictor vultum

Speciosum effingit: ita pudicitia celsius consurgentem vitam exponat. Zenonem veronensem Antistitem legimus dixisse: *Pudicitiam qui colit, quanta nobilitatis sit, facilimè cognoscit.*

II. Quia castitate ad Deum quam proximè accedimus. *Ebra, 13. Sectamini castitatem, sine qua nemo videbit Deum.* Tamē *Castitatem* habemus in *Josepho* qui ab *Heri* lui uxore ad exercendam libidinem se trahi non est passus *Gen: 39.* Unde & illud *Melanchtonis*:

*Castus Deus mens est, casta vult mente vocari,
Et castas iussit, pondus babere preces.*

Exempla passim habentur in profanis. *Xenocrates Chalcedonius* *Platonis Discipulus* tantæ erat castitatis, ut à *Phryne* nobilissimo *Athenarum* scerto nullis illecebris, nulloq; libidinis irritamento vinci potuit. *Val. Max. I. 4. C. 3.* Tanta quoq; *Castitate* Exelluit *Alexander Magnus* postquam *Darium Persarum Regem* vicisset, uxorem ejus filiasq; cepisset, illas pulchre & castè habuisse refert iust. *Lib. II. Cap. 9.*

XXX. In excessu castitati adversatur libido illicita & noxia qua est vitium in expetenda venere. Hæc æternis & Temporalibus peccatis afficitur, scriptura namq; scortatores æternis flamnis disertè devovet. *I. Cor. 6.* infamia porro, morbi contagiosi, exilia & excidia populorum, agnorum & urbium comitantur libidinem, sub qua continentur fornicatio, scortatio, adulterium, incestus, estialitas etc. Exempla passim sunt obvia. *Lydi omnino mortalium libidinosissimi*, fuisse creduntur, teste Cle-

archo. Tyrrheni in proposito nefarias suas explere libidines conservaverunt, quibus haud dissimiles fuere Sybarites, Tarentini, Babylonij de quibus Cartius l. 5. Nihil inquit, urbis ejus corruptius moribus, nihil ad irritandas illiciendasq; immodicas voluptates instructius. Liberos conjugesq; cum hospitibus stupro coire, modo pretium flagitiq; detur, parentes maritig; patiuntur. Convivales ludi tota Perside regibus purpuratisq; cordi sunt. Babylonij maximè in vinum. & quæ ebrietatem sequuntur, effusi sunt. Fæminarum convivia ineuntium in principio modestus est habitus; dein quæ amicula exuent, paulatim pudorem profanant. Ad ultimum (honestos auribus sit) ima corporum velamenta projiciunt. &c. Cyprij virgines suas ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quæsturas in quæstum ad littus maris miserunt, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas luf. lib. 1. 8. Cap. 5.

XXXI. In defectu est: nimis à venere abstinentia. Quo vitio Diog. laboravit, Tste Laertio in vita Diog. qui cum aliquando Mulierem in arbore pensilem vidisset, optabat ut omnes mulieres ita ab arboribus suspensæ essent. Possunt huc transferri quoq; exempla Monachorum & Monialium in papatu, qui suam Castitatem ita extollunt, ut conjugium penitus deprimant. Tantum ergo pro ingenij modulo, de hac materia dixisse sufficiat.

Gloria sit Patri, sit Nato Gloria, Sancto
Gloria Spiritui, Triadi sit Gloria semper.

Optima ſpe iuveni

Dn. JOHANNI B. FISCHOVIO,
Temperantiam publicâ dissertatione,
maximi, rectissimè facienti.

VIna bibant homines, animātia cætera lymphā
Ad placitum multis, quando Poëta canit,
Lucano satis est, populis fluviusq; Ceresq;
Quod paucis equidem perplacuisse potest;
Aſt quoniam semper medium tenuere beati
Nam virtus medio gaudet ubiq; suo:
Motibus est animi, sed enim Moderatio virtus
Blanda voluptatis dum modo signa cident,
Quæ magno Juvenum mores conamine turbant
Mens niſi semper adest, provida facta ſui;
Verius ergo virum, Juvenē, quam, docta Minerva,
Fischovi, scripto Te dicit eſſe tuum.
Præſide quod Claro tua ſat Moderatio prodit
In lucem; merito ſic tibi fauſta precor.

L. M_z

ANDREAS PETRAEUS
Phys. P. Ord. & Ac. h. t. RECTOR

J U V E N I

Artium liberalium virtutumq; studijs probe exculto,
DN. JOHANNI B. FISCHOVIO
Borgo-Nylando,

Disputatione Ethica à se conscripta, profectus in
Philosophia humaniori, publicum
edenti specimen:

ERgo tuis studiis FISCHOVI culta Thalia.
Adplaudit, cœptis congratulatur ovans.
Nam tua cura fuit Sophiæ Eusebiæq; vacare,
Quæis celebrata fuit concio clara Virum.
Sic pergas hortor, tibi Numen præmia summum,
Distribuet post hac magna laboris. ave!

Occupatissimus adplausit

JACOB. FLACHSENIUS
Fac. Phil. h. a. Dec.

I N

Juvenem Eruditionis & Morum elegantia pereximum,
DN. JOHANNEM B. FISCHOVUM
Borgo-Nylandum, Amicum perdilectum, de Tem-
perantia docte solideq; differentem.

Επίγειμα.

Seria commonstrat vitam tractatio rerum.

Cujusvis; quoniam vita animusq; pares.

Frivola si mens est, studium conforme futurum.

Est vita; proprijs fructibus arbor ovat.

Sicubi sed studijs est quisquam deditus aptis

Virtuti, pariter mens ibi talis erit.

C.

De te,

De te, FISCHOVİ, dubitet quis dicere verum?

Pierij nostri partio docta cbori!

Sobria tempesties studium est, mens sobria cura:

Sobrius inde studes, sobrius ergo sapi.

Posuit L. Mq;

PETRUS LAUR BECCHIUS
Poëtis Prof. Ordinarius.

Πρὸς Γενάριον σπεδαιότερον καὶ Γῆς Γεννήσαν Τρίτων κα-
λοκαγαθίας αὐλιπούμενον κύρον Ιωάννην φε-
σχώσιον πεφώνησ

Hμὴν ἐγκεχέιται πάσοις ἐξὶ ἀρετῆς κρηπὶς καὶ ἐπαινεῖται, οὐ δὲ τὰς τὴν
δονὴν αὐλημόνη Γεννήσαν εἰλεύσεται σπεδαῖες κοσμεῖται Καλὸν εὖεργον
ἐπιχείρεις διδάσκων τορέπειν μηδ πάνταν ἀσκεῖν ἐγκεχέιται, οὐ φέννα
κρεπεῖται τὴν ψυχὴν αὐχρόν, πλάτεισον δὲ Γῆν Γῆς ἡδονῆς; Γεννήσαν
περιέχουν, καὶ Γῆς σωφροσύνης ἐπιτεύχη, οὐ τὴν σὺν φρόνησιν σωσει.
Ἐστιν δὲ Γεννήσας, ἣν αἰρεῖσθαι οὐ πολάβησι τῶν μηδὲ ὄικετῶν ἀρκει, Γεννήσας
δὲ ἡδονᾶς δελένειν. Εὔρωσ.

ERICI FALANDRI
Græc. & Heb. Ling. P. P.

QVanquam pernoverim, Domine Respondens, sermonem
illum placere maxime, qui in adulationis artificium ver-
git, & paulatim ab illa linea declinat, quæ aliquando fuit ipsa-
rum amissis rerum, actionum omnium basis, & conservatio-
nis humanæ primarium fundamentum. Tamen ut statum ali-
quem servem harmonicum, ipsaque membra capiti concordia
perfecta iungam, malo prius veritatem profiteri semper, quam
serpentum ritu, in cyclica volumina mentem contorquere meam.
Nam rectus ille animus, dum muliebri venustati se inserit, fucisq;
ac flagitioso habitu seipsum obnubilat, Prudentiam omnem, Pieta-
tem pariter, & illam quæ hanc comitatur conscientiam, amittit ni-
si fal-

si fallor. Quippe postquam error sua fræna imposuit, & opiniatio fucum induxit, & ad insidias excubare cœpit nocendi illud virus; non mirum est profectio, si in diram veltitatem abeant, Antiquis observatae leges modestissimæ. Scilicet conservabant Illi Divina placita, humanam etiam salutem diligenter procurabant, ipsam vero fortunam, nî pressis manibus teneretur, super gloriam aliquando ruituram, cum judicio prævidebant. Hodiè autem, paulo aliter comparatum esse cum rerum indole non potest quispam ignorare: credo, quod oblivio charitatum, & criminum mater necessitas, & impudentia adulantium, indefesso conspirant studio, in augendo vasto alias inse vitiorum Abyss. Eveniat quidquid evenire potest, id omnino Nos docet Historia, subdolis mentibus, adnatas esse veluti tabem, vitam ancipitem, spes lubricas, certos metus, incerta consilia, mortes calamitosas, longa supplicia, posteritatem aut brevem aut nullam: è contra illis qui mente sincera, modarata prudenter, Zelo invicto, velut salutaria mundi sidera, laborantibus rebus subvenerunt, adfulsisse felicitatem & gloriam cumulatam, conscientiam optimam, domosq; fundatissimas in multa secula. Tantæ autem beatitudinis genitrix est unica saltem virtutum arbor, cujustruncus & basis fuit ab æterno ipsa Temperantia, quæ cælesti sua forma & splendore Divino, haud aliter ac Sol, è lata siderum serie, & ætheris alto vertice, venerabilem quandam maiestatem propagat. Quare propositum tuum, candida gratulazione prosequor, & ipsum quoq; Argumentum vehementer laudo; quia longe excedit illas materias, quæ simplicitati multa imponunt, ea potissimum de causa, quod humana fragilitas ad dubia & vana ut plurimum inclinat. Vale

adpos:

DANIEL ACHRELIUS

Virtute ac literis ornatissimo JUVENI
DN. JOHANNI B. FISCHOVIO,
Populari & amico suo conjunctissimo.

Dulcia sic magnæ quondam præconia laudis
Serta futura dabunt, Pieridesq., Tibi!
Quēis satis imbutus doctam quia scandere tentas
Aonidum sedem; gratulor ergo tibi!
Gratulor ingenio vegeto: Tibi prospera cuncta
Concedat, voreo, talis origo boni!
Tu, dextram Phœbo præbente, ad culmina solers
Pergas, veste sedet Laus ubi purpurea!
Non onus est, sed honos, aliquid sufferre laboris;
Præmia Musa dabit (perge!) parata tibi.

Hunc in modum accinnebat

PETRUS JOH. SERLACHIUS
Perno-Nylandus

